



BOiocalus ex Frisiorum gente oriundus ab in-
 eunte aetate militiae operam dedit, atque si-
 bi magnum uirtutis nomen comparauit. Cum au-
 tem eo tempore Romani potissimum Germano
 milite uterentur, ipse sub Tiberio & alijs Germa-
 nicis ducibus stipendia meruit, & uirtutis causa
 ordines duxit, idque per annos quinquaginta. Cū
 itaque Domitius Nero Romanam rem publicam
 administraret, is quoque Romae in Caesaris exer-
 citu erat. Accidit tum ut Verritus & Maloriges
 Frisiorum duces partem agrorum Germaniae ri-
 pae proximis infederant, atque suae ditionis fece-
 rant. Nam bellis compositis agros colere statue-
 rant. Itaque Romam profecti, Caesaris consensum impetrare statuerant. Ibi
 causa proposita, ad Neronem dixere nullos mortalium Frisios erga Roma-
 nos fide & beneuolentia superare. Itaque petere ut agros uacuos, quos oc-
 cupassent, eius uenia possidere liceret. Aderat forte Boiocalus: Is prosiliit,
 & eos uera dicere affirmauit: se enim Cherusca olim rebellionē, iussu Arminij
 uinctum, & postea liberatum, sub Romanis stipendia quinquaginta an-
 norum meritum. Id cum Nero intellexisset, quicquid petie-
 runt concessit, & in Boiocali gratiam, utrunque
 legatum Romana ciuitate donauit.